



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*CHRISTIFIDELES MEXICANI***IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS TITULO «NUESTRA SEÑORA DEL CARMEN»**

INVOCATAE, QUAE PIE SERVATUR IN SANCTUARIO EIDEM DICATO

IN MEXIACANA URBE «CATEMACO», PRETIOSO DIADEMATE REDIMIRI SINITUR

«NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. – Christifideles Mexicani dioecesis

Sancti Andreae de Tuxtla finitimarumque Ecclesiarum singulari pietate colunt decoram imaginem Beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra Señora del Carmen» invocatae, quae pie servatur in Sanctuario eidem dicato in urbe «Catemaco» ad quod idem frequentes accedunt a tam benigna Matre, quam Magistram ac Reginam quoque suae habent vitae, supernum auxilium petitori. Quare, cum Venerabilis Frater Vilelmus Ranzhauer González, Episcopus Sancti Andreae de Tuxtla, litteris die XXII mensis Novembris superioris anni datis, etiam cleri populique sui nomine petiverit ut imagines, quam diximus, Nostro nomine et auctoritate diademate posset redimire, Nos, paternae dilectionis documentum tam dilectis Mexicanis filiis cupientes praebere, eius Pastoris precibus libentes obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus Apostolica Nostra potestate usi petenti Praesuli partes committimus ut imagini Beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra Señora del Carmen» invocatae et in Sanctuario Mexicanae urbis «Catemaco» pie custoditae Nostro nomine et auctoritate pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum. Minime vero dubitamus quin concessus honor in religionis bonum populique spiritualem in profectum cedat pariterque fore confidimus ut ii omnes, qui eandem venerantur imagines, ad colendam Dei Genetricem magis magisque incitentur. Denique volumus ut hae Litterae accurate serventur omnesque suos effectus legitime consequantur, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Februarii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO *Secretarius Status* © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana
